Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mea sepulchrum. et uulua eius con-
ceptus eternus. Quare de uulua egressus
sum ut uiderem laborem et dolorem.
et consumerentur in confusione dies mei.

Verbum quod Cap. xxi.
factum est ad ieremiam a domino.
quando misit ad eum rex se-
dechyas phassur filium melchie.
et sophoniam filium maasie sacer-
dotem. dicens. Interroga pro nobis dominum.
quia nabuchodonosor rex babylonis pre-
liatur aduersus nos. si forte faci-
at dominus nobiscum secundum omnia
mirabilia sua. et recedat a nobis.
Et dixit ieremias. Hec dicetis se-
dechye. Hec dicit dominus deus israel.
Ecce ego conuertam uasa belli. que in
manibus uestris sunt. et quibus uos
pugnatis aduersum regem baby-
lonis. et chaldeos qui obsident uos
in circuitu murorum. et congregabo eos
in medio ciuitatis huius. Et de-
bellabo ego uos in manu extenta.
et in brachio forti. et in furore et in-
dignatione. et in ira grandi. et percu-
tiam habitatores ciuitatis huius.
homines et bestie pestilencia mo-
rientur magna. Et post hec ait dominus.
dabo sedechyam regem iuda. et seruos
eius et populum eius qui derelicti sunt
in ciuitate hac a peste. et gladio. et
fame. in manu nabuchodonosor regis ba-
bylonis. et in manu inimicorum eorum.
et in manu querentium animas eorum. et
percutiet eos in ore gladii. et non flectetur.
neque parcet. nec miserebitur. Et ad populum
hunc dices. Hec dicit dominus deus.
Ecce ego do coram uobis uiam
uite. et uiam mortis. qui habitauerit
in urbe hac. morietur gladio et
fame. et peste. qui autem egressus fuerit.
et transfugerit ad chaldeos qui obsident
uos. uiuet. et erit ei anima sua quasi
spolium. Posui enim faciem meam
super ciuitatem hanc in malum et non
in bonum. ait dominus. In manu re-
gis babylonis dabitur. et exuret eam
igni. Et domui regis iuda. Audite
uerbum domini domus dauid. Hec
dicit dominus. Iudicate mane iudi-
cium. et eruite ui oppressum de manu
calumpniantis. ne forte egrediatur
ut ignis indignatio mea. et succen-
datur. et non sit qui extinguat.
propter malitiam studiorum uestrorum.
Ecce ego ad te habitatricem uallis
solide. atque campestris. ait dominus.
qui dicitis quis percutiet nos. et
quis ingredietur domos nostras.
Et uisitabo super uos iuxta fructum
studiorum uestrorum dicit dominus. Et
succendam ignem in saltu eius.
et deuorabit omnia in circuitu eius.

Hec dicit Capit. xxii.
dominus. Descende in do-
mum regis iuda. et loqueris
ibi uerbum hoc et dices. Audi uerbum
domini rex iuda. qui sedes super solium
dauid. tu et serui tui. et populus tuus.
qui ingredimini per portas istas. Hec
dicit dominus. Facite iudicium et
iusticiam. et liberate ui oppressum de
manu calumpniatoris. et aduenam
et pupillum et uiduam nolite
contristare. neque opprimatis inique.
et sanguinem innocentem non effun-
datis in loco isto. Si enim facientes
feceritis uerbum istud. ingredientur per
portas domus huius reges seden-
tes de genere dauid super thronum eius.
et ascendentes currus et equos ipsi et ser-
ui et populus eorum. Quod si non audieri-
tis uerba hec. in memetipso iuraui
dicit dominus. quia in solitudinem